



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Germanus Episc. 31. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

Martyres tales se probarunt, cū jugulum fortiter gladio dederunt. Extincti triduum tumulo caruere, dum Cyrinus plumbeis loculis clausum aurum defodit, quod iterum deinde erutum est in lucem, cū Orbi Christiano Sol suus Constantinus luxit. Ex actis S. Laurentii.

Noli caduca & fugacia quæ tanquam cera liqueſcunt, admirari. Vivant alii cum Principibus familiariter; tu per orationem cum Deo verſaris: tu unigeniti Filii Dei corpore veſceris; gaude & letare te dignum effectum eſſe, qui templum ſis Dei. S. Ephrem. de vit. ſpirit.

S. GERMANUS EPISC. 31. Iulii.

GERMANVM Muſæ ad ſummos honores evexerunt. In his poſitus cū animum ad indigna munere ſuo ſtudia dimitteret, & venandi amore illectus Palladi jam Dianam præponeret, monitor adfuit Amator urbis Pontifex, & arbore, in quâ ferarum capita defixerat, exciſâ, inſanum etiam venandi ſtudium ex ejus animo extirpavit. Eſt enim iratum fugere aliquandiu Amator eſt coactus, rediit tamen paulò poſt, & inermem in templo GERMANVM aggreſſus captum amicâ vi in ſacerdotem attondit, infulæque ſuæ moriturus heredem fecit. Inde alium jam vidiffes GERMANVM. Nemo modeſtior illo. Nulli digniores infulâ mores, ille cilicio corpus veſtire, ille præter panem hordeaceum & mortis monitorem cinerem nihil in menſam admittere. Ille reditus in pauperes diſpenſare, & cū ex his uni tres reliqui aurei eſſent, jubere, ut hi etiam illis in prædam cederent. Verùm cū ex his unum miniſter ſervaffet, Numenque pro binis ducentos dono ſubmiſſet, noravit ſcilicet GERMANVS avaritiem illius,

lius, qui ingens fœnus (quod trecentorum aureorum futurū erat) imminuisset. Obiit anno CCCC. XXXV. patriæ suæ unicum præsidium. Nam dum vixit contra imminentes urbi hostes ipse exercitum duxit, signa ipse tulit, utque animos civibus faceret, sæpè sæpius cum suis *Alleluia* insonuit, itaque ferè unus rectè Epiniciam ante victoriam cecinit. *Ex Surio.*

Diem ex die ne differas; sed quàm celerrimè ad Dominum te converte, antequam severissimi Iudicis sententia pronuncietur, quæ te vocet ad reddendam rationem talentorum, quæ tibi dedit; & vincētis manibus & pedibus in tenebras exteriores extrudaris. S. Ephrem. de Pœnit. & Conf.

S. IGNATIUS LOYOLA C. 31. Iulii.

IGNATIVUS è nobili milite Societatis JESU Dux animi sanitatem pedum debet vulnere, hujus curationem D. Petro, vitæ immutationem piorum librorum lectioni, castitatis verò donum Virgini MAGNÆ, quæ cum Filiolo suo spectandam illi se dedit. Ad hujus aram cum opima spolia, (arma sibi detracta) suspendisset, inter miros pœnitentiæ rigores, MARIA dictante, libellum illum Asceticum scripsit, quem ne libro satis laudes. Cum horas VIRGINIS percurreret, ad arcanum S. Triadis aspectum admissus est; Eiusdem Sabbatho extra se raptus, non nisi altero Sabbatho ad corpus rediit, Animarum lucro inhians, vir annorum XXXIII. literas discere est aggressus; mox socios scribere, parvas copias, sed ingens orbi laboranti præsidium, & cui JESUS ipse propitium Romæ se fore appromisit. Unicum ei symbolum fuit, *Major DEI Gloria;* perquàm familiaris illa cum lacrimis vox:
Hem